



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Varij matrimoniorum fructus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

quam concumberet, preſſus ſomno, & territus ſomnio Sitifeniſi Epiſcopo eandem vehementiſſimè requirenti remiſit intactam. Viuunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, & ipſo in ſe factò miraculo conuerſus ad Dominum, ad Epiſcopatum mirabili probitate peruenit. Illa in ſancta viduitate perſiſtit. Placuit igitur Deo viduitas, quam miraculo defendit; & iuuenis caſtitem amplexus eſt, cuius vidit Deum eſſe deſenſorem.

CAPVT XLV.

Fructus, qui è fauſtis Matrimonijs oriuntur.

Rolixè oſtendimus huc vſque, Matrimonium origine, fide, prole, indiſſolubilitate, ſine, eſſe ſtatum bonum, beneque & ſapienter à Deo inſtitutum, & multa eius commoda demonſtrauimus; incommoda autem quæ ſanè affert multa, ipſis hominibus, non hominum Conditori attribuenda eſſe. Quoniam verò maximè *ex fructu arbor agnoſcitur*, adhuc alios fauſti & infauſti matrimonij fructus attingemus. Siquidem, vt è fertili arbore, ita è ſancto coniugij ſtatu, varij fructus enaſcuntur, qui in coniuges, in liberos, in Rempubli- cam, in Eccleſiam, denique & in alios, ſiue coniugium, ſiue cœ- libatum meditantès vberrimè redundant. Nam de diuino honore nihil dicam; cùm vtique ad eum finem multa ſatis allata ſint, vt inſtitutoris matrimoniorum æquitas, bonitas, & pro- uidentia agnoſceretur. Neque Chriſti cum Eccleſia coniun- ctionem, in matrimonijs ſignificatam denuo repetam aut in- culcabo. Alias quoque coniugia habent laudum cauſas, ob quas coniuges tripode donandi ſunt.

Primò illum ipſum, aut illam in melius iuuat hoc ſacra- mentum, *cui eſt melius nubere, quam viri*. Quippe non proliſ tantùm, ſed & remedij cauſa eſt inſtitutum. Hinc ibidem ait Apoſtolus, *Si ſe non continent, nubant*. Eſt ergo remedium caſtitiſ. Eſt & fidei ſeruandæ, concordie colendæ, exercendæque & patientiæ, & charitatiſ occaſio. Eſt ſubſidium & præ- ſidium variæ neceſſitatiſ. Eſt via religioniſ, pietatiſ, ſanctita- tiſ adipiſcendæ. Harum omnium virtutum exempla ordine

I.

Matth. 12. 33.

II.

1. Cor. 7. 9.